



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri  
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De  
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,  
insignes & peruetusti**

**Petrus <Chrysologus>**

**Lvgdvni, 1623**

De iejunio & temptationibus Christi, Sermo XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

*De ieiunio & temptationibus Christi,  
Sermo XI.*

**Q**uod curiositas humana, quod veterum labor,  
quod sapientia mundana quærens, & diu quæ-  
rens, non potuit inuenire, hoc scire & nescire facile  
præstitit lex diuina. Vnde malum, culpa vnde, vitiorū  
vis vnde, vnde criminum furor, vnde corporum bel-  
la, vnde conflictus animæ, vnde vitæ tempestas tanta,  
vnde mortis naufragium tam crudele nesciret homo,  
nisi Dei lex diabolum prodiisset? Diabolus mali au-  
thor, nequitia origo, rerum hostis, secundi hominis  
semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, fo-  
ueas fudit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit ani-  
mas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes  
odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit,  
pacem turbat, affectus dissipat, concindit unitatem,  
sapit malum satis, bonum nil, violat diuina, humana  
tentat. Hinc usque ad Christum tetendisse tentator  
temerarius sic refertur. *Et cum ieiunasset quadraginta*  
*diebus & quadraginta noctibus, postea esuriuit: & accedens*  
*tentator dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes*  
*fiant. Audientes ista in Deum non vadant, non crimi-*  
*nentur naturam, non contumelientur authori, non*  
*accusent carnem, de anima non querantur, non impe-*  
*rent tempora, astris non imputent, infamare desinant*  
*innocentiam creaturæ, malum sentiant accidens, non*  
*creatum, & creatorem boni Deum, diabolum inuen-*  
*torem mali: ac sic ascribat diabolo mala, bona Deo,*  
*declinent mala, faciant bona, habituri in bonis adiu-*  
*torum Deum, qui dat posse quod iubet & quæ præci-*  
*pit, facit ipse: quia sicut diabolus impellit ad mala, sic*  
*Deus deducit ad bona. Nemo ergo quasi concreatis*  
*sibi vitiis obsequatur, & quod est criminis, esse putet*  
*naturæ,*

Matt. 6.

naturæ, sed sumat cum Christo arma ieunij, criminū propellat impetus, prosternat castra vitiorum, & de ipso authore mali sumat Christo dimicante victoriam, Diabolo victo vitia nil valebunt: quia extincto tyranno solutæ acies sunt tyranni. Audi Apostolum dicentem. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & *Ephes. 6.* sanguinem: sed aduersus spiritualia nequitia in cœlestibus. *Tunc, inquit, Iesus ductus est in desertum à spiritu.* Non à diabolo, vt esset diuinitus curius, non humanus incursus, vt esset spiritus præscientiæ, inscitia non esset humana: & esset potestas Dei, potestas non esset inimici. Diabolus semper primordia boni pulsat, tenet rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens quod ea subuertere fundata non possit. Hoc non ignorans Christus diabolo se quæreret patienter indulxit, vt inimicus laqueo suo ipse teneretur, & caperetur inde, vnde capere se putabat, sicque à Christo vinctus, cederet Christianis. *Et cum ieunasset, inquit, quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Videlis fratres, quia quod quadragesimam ieunamus, non est humana inuentio, authoritas est diuina, & est mysticum, non præsumptum: nec est de terreno usu, sed de cœlestibus est secretis. Quadragesima quatuor decades quadratam fidei continet disciplinam, quia semper est quadrata perfectio. Quaternarius numerus & denarius, quæ in cœlo, & in terra teneant sacramenta, quia aperire modo non vacat, explicemus domini cœpta ieunia. *Et cum ieunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Homo, Deus in te ieunat, in te esurit: imò ieunat tibi, tibi esurit, qui sibi sicut nescit manducare, sic non potest esurire. Ergo cum propter te ieunat Christus, te esurit. *Et cū ieunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Hoc non est infirmitatis signum, sed est insigne virtutis: quia

cum dicit postea esuriit. Quadraginta dieb. & quadra-  
ginta noctibus, probat in illo esuriem non fuisse: esu-  
riem sentire, & vincere, est laboris humani: diuinæ vir-  
tutis est esuriem non habere. Ergo Christus non ie-  
junio lacefuit, non esurit fame, sed esuriuit Chri-  
stus, ut tentandi materiam diabolus inueniret, quia  
ad ieiunium non audebat accedere, quia sic ieju-  
nantem, Deum non hominem sentiebat. Tunc sen-  
tit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum  
putauit posse tentari, quando eum esurire calli-  
dus explorator inspexit. Et *accedens tentator dixit.*  
*Accessit tentantis dolo, non obsequantis affectu.*  
*Accessit peius impudens quam recessit, sed esu-*  
*rienti quid obtulerit, audiamus.* *Dic ut lapides isti*  
*panes fiant.* Lapides esurienti offert, humanitas talis  
est semper inimici: sic pascit mortis author, sic in-  
uitus vitæ. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Diabole, fal-  
lit te prouisio tua. Potest famem vertere in saturitatē,  
qui potest in panem lapides immutare. Quid illi con-  
silium tuum, cui sua sufficit virtus? *Dic ut lapides isti*  
*panes fiant.* Diabole, & non prodidisti, & tuum domi-  
num non pauisti. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Miser,  
malus vis esse, sed non potes: cupis tentare, sed nescis  
esurienti tenera offerre, non dura debuisti: famem nō  
asperis palpare, sed blandis, inediā non horridis vr-  
gere debueras, sed gulosis. Ithis non modò Dei filium,  
sed hominis filium tu laqueare non posses. Ad præ-  
sentiam Christi deperire tibi artes tuas tentator in-  
tellige. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Potest de la-  
pidibus panes facere, qui aquas conuertit in vi-  
num. Sed signa fidei sunt præstanta, non dolis: cre-  
denti danda sunt, non sunt danda tentanti: & fa-  
cienda sunt ad petentis salutem, non ad facientis in-  
iuriam: Diabole, tibi ut quid signa, cui nil subuenit ad

fa

fālutē? cui totū restat ad pœnā? cui & signa proficiunt  
ad ruinā? Sed accipe respōsū, vt te intelligas, & subii-  
ciaris authori. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni  
verbo quod procedit de ore Dei.* Audi patris verbū, verba  
salutis nostræ esurire, nō panē, & agere vt homo sēper  
viuat cœlesti verbo, terreno pane nō sēper: ac si Deo  
viuat, vt sui nescius sit laboris; quia verē illa vita est,  
quæ sudorē nescit, dolores nō habet, non habet finē.

*De eisdem, Sermo XI I.*

**Q**uoniam ieiunij vernum, & tempus bellorum  
spiritualium cernimus aduenisse: sicut Christi  
milites, deposito corporis, animæquæ torpore, virtutū  
procedamus ad campum: vt membra quæ sunt nobis  
hyemali ocio mollita, exercitio cœlestium roboren-  
tur armorum: dedimus corpori annum, demus ani-  
mæ dies: impédimus nobis tempora, tempus depute-  
mus authori: viuamus Deo paululum, qui sæculo vi-  
ximus totum: seponamus domesticas curas, Ecclesiæ  
maneamus in caltris, vigilemus in acie Christi, sum-  
mum cubilium non queramus, iungamur fortibus,  
ab amplexibus separemur mollibus, amor nos teneat  
triumphorum, paruolorum non auocent blandimen-  
ta, auribus nostris insonet vox diuina, familiaris stre-  
pitus nostrum non confundat auditum, cibus parcus  
de cœlesti sumatur annona, terreni luxus copiæ non  
querantur, in poculis sobrietatis mensura seruetur,  
vires ebrietas non eneruet. De stipendiis quicquid  
exuberat, commilito pauper assumat: pestilens effusio  
nil perdat, in conflitu habebis auxilium, esurientem  
sauciū quem cibabis. Sic muniti fratres, instituti  
sic, indicemus bella peccatis: statuamus criminibus  
pugnam, cōflictum viciis nunciemus, securi de victo-  
ria: quia nec arma cœlestia hostes poterunt superare

C 4 terreni